



# Exercitatio physica de mundi duratione

<https://hdl.handle.net/1874/341653>

99.

EXERCITATIO PHYSICA,  
DE  
**MUNDI DURATIONE,**  
PARS PRIOR;  
QUAM,  
SOLE JUSTITIAE ILLUSTRANTE,  
SUB PRÆSIDIO

**M. JOANNIS LUYTS,**

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

*publicè ventilandam proponit*

**NICOLAUS SNOUK,** Mediob. Zelandus.

*A.D. 4. Junii, horâ locoque solitis.*



**TRAJECTI ad RHENUM,**

---

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiz  
Typographi, CLC XC.

*Gravissimis VIRIS,*

D. JOANNI van HOORN, Illi in pagis Oo-  
D. DANIELI vander RECHT, sterlant & Ser-  
janflant Secretario fidelissimo & mercatori justissimo;  
Huic apud Medioburgenses mercatori æquissimo, Avun-  
culis meis semper à me omni amoris affectu profe-  
quendis :

U T E T

*Clarissimis & Celeberrimis VIRIS,*

D. GERARDO D E VRIES, L. A. M.  
Philosophiæ Doctori, & ejusdem facultatis in celeber-  
rimo hoc Athenæo ordinario, Professori meritissimo,  
Studiorum meorum , præceptori & directori summo,  
omni honore ac gratitudine usque ad extremum vitæ  
halitum colendo ,

D. JOANNI LUYTS, L. A. M.  
Philosophiæ Doctori atque ejusdem facultatis, in in-  
clytâ Ultrajectinâ Academiâ Professori Ordinario , di-  
gnissimo, Studiorum meorum Philosophicorum Pro-  
motori & Fautori indefesso, Præsidi reverendo , mihi ,  
dum vivo, nunquam non honorando :

*Hanc Exercitationem*

*offerò & inscrivo*

*NICOLAUS SNOOK, Resp.*

EXERCITATIO PHYSICA

D E

MUNDI DURATIONE.

P A R S P R I O R;

T H E S I S I.

I quæ nobilis est quæstio , & ventilatione dignissima in universo Naturalis Philosophiæ ambitu , ea erit , quæ de Mundi Duratione , utrum initium , nec ne habeat , instituitur . Nam sin minus , omnis mascula demonstratio pro summi Numinis & existentiâ & essentiâ tantum non concidit , atque aut nihil admittitur , aut quod naturâ Deus non est , merum Idolum . Contrà si principio gaudeat , nihil certius liquidiusque est , quæ & esse Numen , & toto Ccelo distinctum , sublimiusque omni illo , quod in sensus incurrit , aut phantasiam . De Mundi Duratione non eadem quidem omnibus stetit sententia . Ex hortis Philosophi , ut cum Empirico dicam , arbitrii sunt , Mundum surrexisse , quemadmodum quæ ejus circuitu continentur omnia ; quia eadem totius , quæ partium natura est , hæ verò ortui sunt obnoxiae , atque ex fortuito congruoque convenientium atomorum concursu progignuntur : similiter Mundus consurrexit , quando innumerabiles atomi per inane immensum volitantes forte fortuna concurreré , aliis alias compellentibus , & sensim multiplice nexu irretientibus . Nec Mundus tantum , sed quotquot existunt , infinitos enim censuit Epicurus , quia universum & inanis magnitudine & atomorum multitudine infinitum constituit , arbitratus (ut verbis Metrodori Chii

A z

hoc

hoc exprimam, seu, ut quidam malunt, Lampsaceni, Epicuri familiaris ac discipuli) tam absurdum esse in Universo infinito unum fieri Mundum, quam in magno agro unam nasci spicam. Sic quidem Mundo initium tribuit Epicurus, atque cum ipso longè plurimi, Lucretius, Leucippus, Democritus, Heraclitus, Empedocles, Anaximander, Anaxagoras, Anaximenes, Archelaus, Philolaus, Trismegistus, ex cujus fontibus universa Græcia bibisse dicitur, Plato, qui disertis verbis Mundi ortum in Timæo afferuit, quamvis nec desint, qui æternitatem ipsum affirmasse afferunt, Stoici, ut alios transeam. Verum aliter ille de Mundi principiis philosophatus est; nam atomos suas nec genitas voluit, nec creatas, sed ab æterno extitisse juxta receptissimum ἀξιωμα, Ex nihilo nihilum, quod & ad divinam virtutem extendit, juxta illud Lucretii:

Nullam rem è nihilo gigni divinitus unquam.

Cum Epicuro consentiunt omnes, quorum statim meminimus. Stoicorum mentem non semel explanat Seneca in Epistolâ LXV, inter alia inquit: *Dicunt, ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum naturâ, ex quibus omnia siant, causam & materiam. Esse debet ergo, unde aliquid siant, deinde à quo siant.* Cæterorum loco sit Cicero lib. II. de Divin. Erit aliquid, rogat, quod ex nihilo oriatur? *Quis hoc Physicus dixit unquam?*

II. Oppositam opinionem amplexus imprimis est Aristoteles, totum universum ab omni æternitate extitisse palam magnâ animi contentione, quicquid nimium Aristotelei obloquantur, edocens. Unde penes sacerdotem Hierophontem dupli nomine incusatus dicitur, & quod, rejecto contra patrios ritus Polytheismo, unum Deum adstruxisset, & Mundum habuisse sempiternum, quem initio temporis productum universa sustinebat Græcia. Eodem, quo priores, fundamento nixus est, & ante ipsum ejusdem mentis fuerunt varii, plurimosque reliquit discipulos, qui

pe-

pedibus in hanc Præceptoris ierunt sententiam. Multi ex Scholasticis multum in Scholis disputatione & disputant pro Mundi possibili æternitate, in gratiam sui Aristotelis, existimantes, si illam evicerint, in lumen Naturæ non peccasse Philosophum, quando æternitatem ejus asseruit. Recentiores, qui mollissimè loquuntur, vix dissentiant à Scholarum Doctoribus; nam difficulter sentiunt refelli posse, qui possibilem tutantur æternitatem; alii ultra progressi rotundo pronuntiarunt ore, Mundi principium non naturam, sed Scripturam docere. Imo si convenienter suis Hypothesibus cupiunt ratiocinari, oportet, inquit, quemadmodum cognoscimus hunc mundum, seu substantiæ corporeæ universitatem nullos extensionis suæ limites habere, sic neque ipsa principium durationis habet. Nam quâ consequentiæ necessitate illam Mundo tribuunt extensionem, pari prorsus hanc debent tribuere durationem. Sic enim ex nobilis Philosophi fundamentis inferre licet: Si Dei opera nimis ampla cogitari non possunt; si satis magnificè de creatoris potentia sentiendum, & de nobis ipsis non nimis superbè, tanquam si vis nostræ cogitationis ultra id, quod à Deo revera factum est; ferri posset; si quandocunque principium Durationis Mundanæ finximus, semper ultra illud aliqua spitia temporalia indefinite extensa, non modo imaginamur, sed etiam verè imaginabilia, hoc est, realia esse percipimus, ergò cognoscimus Mundum hunc sive substantiæ corporeæ universitatem nullum habere Durationis suæ principium. Conferantur Partis Tertiæ Princip. Cart. Art. i. & ii, atque Partis Secunda Art. xxii. Samuel Parkerus in Eruditis, & elegantis Styli Disputationibus de Deo & divinâ providentiâ, Disputatione Quartâ, Sect. I. inquit: *An Mundus sempiternus esse potuerit, imperiè cum Atheis disputatur, atque posse ostenditur.*

III. Ita videmus multos fuisse, ac inveniri hodieque, qui seu Mundum, seu ejus materiam principio durationis

carere existimant, saltem hoc per naturæ lumen doceri non posse, quum à summi Numinis liberrimo beneplacito in totum dependeat. Nos quidem nec hos, nec illos verè & tūtò sentire arbitramur, sed qui tenent oppositum. Fateor, quot secula, annos, menses, dies, horas absit à nostrâ tempestate Mundi principium, silet natura; posset recen-tioris ævi esse, quod suo tempore urgebant Epicurei; potuissent jam lapsi esse unus, alter, & plures magni anni Pla-tonici, neque quæ fabulati sunt de Mundi antiquitate, ve-tustissimis observationibus, aut historiis Ægyptii, Chal-dæi, Babylonij, absolutè repugnant. Nec decidi potest naturæ lumine, utrum Mundi materia & ordo, quo nunc nitet, coævi sint, an verò illa præextiterit, rudit indigestaque moles, aut chaos Hesiodicum, quam postmodum Deus & melior natura transformavit ex deformitate in ele-gantiam, ex confusione in ordinem, ex non mundo in mundum, vel ex cineribus alterius Mundi, ad instar Phœ-nicis, prodierit, quod Stoicis Dogma adscribitur. Nam modus productionis Mundanæ variare in infinitum potuit, propter primæ causæ infinitam sapientiam, libertatem ab-solutissimam, & potentiam per omnia independentem. Sed quomodounque Mundus productus sit, nec ipse, nec ejus materia, nec materiæ corporeæ universitas, æterni sunt, aut esse possunt, quod docere aggredimur. Mundi seu Materiæ corporeæ universitatis, seu Universi, quæ nobis erunt synonyma, Durationem non esse totam simul & perfectam, sed per partes fluere, nemo, crediderim, inficiabitur; nam duratio diei proximè elapsi nunc præsens non est, ut nec proximè futuri, fugit illa, hæc appropin-quat, & debet prior per sui transitum posteriori locum pa-rare. Hinc ab omni memoriâ moris fuit, qui perdurat etiamnum, per proprias Syderum revolutiones durationis mundanæ partes observare. At motum successivum esse, & mensuram ac mensurandum ejusdem conditionis, res ipsa clamat.

clamat. Si igitur Duratio Mundi ex partibus succedentibus sibi invicem atque adeo homogeneis componitur, omnino initium habere debet; nam pars est magnitudo minor magnitudinis majoris, quæ aliquoties repetita aut magnitudinem majorem, seu totum suum constituit, aut ipsum, si saepius repetitur, superat, & hoc obtinet in omnigenere quantitatuum, quæ ejusdem naturæ sunt. Proinde hoc est de partis essentiâ, ut multiplicata æquet totum, aut excedat; poterit ergo duratio par diei, horæ, minuto primo, secundo, tertio, & sic deinceps, integrum Mundi Durationem, si indefinites resumatur, supergredi; quin si hæc centies, millies, & per possibilem quantumvis additionem major fieret, & illa minor, posset nihilominis hæc Durationis pars imminuta totum adeo auctum superare. Habet ergo Mundi, seu Universi Duratio initium, nec absque eo esse potest, aut concipi. Transeo ex definitione totius idem patere.

IV. Iterum, si Mundus ab æterno sit, duravit hoc præsente momento per secula aut finita, aut infinita, vel per spatia durationis successivæ ipsis æqualia, ne inanis fiat de de voce contentio; nam negandum non est, quin potuerit Universum durasse, & possit etiamnum dûrare, absque motu Cœlestium, sive durationis suæ mensurâ. Utemur tamen ad faciliorem captum vocibus seculorum, annorum, mensium, &c. Dicebam per istiusmodi spatia aut finita, aut infinita, ut enim alterutrum sit, necessum est, quandoquidem hæc contradictoriè sibi opponuntur, quæ nullum suâ naturâ patiuntur medium; quale neque indefinitum est, non nisi ad mentem relativum, cui res, quæ à parte sui verè vel finita, vel infinita est, indefinita dicitur, quando nescit, num fines obtineat, aut, si eos obtinere probè novit, nescit, ubinam aut quando sint. Itaque si per secula finita contendis durasse Mundum, admittendum igitur primum seculum, & primi seculi primus annus, men-

sis,

sis , dies , hora , momentum , quo ejus cœpit duratio ,  
nec fuit ante. Implicit ergo , ut durationem sine principio  
finita secula constituant , neque minor est repugnantia , si  
inquis , infinita jam secula exprimasse. Nam seculum centum  
annorum duratio est , atque adeò in seculis infinitis centu-  
plo plures anni erunt , & quandoquidem annus duodecim  
mensibus , mensis triginta circiter diebus , dies viginti qua-  
tuor horis , hora sexaginta minutis , minutum sexaginta  
secundis , secundum totidem tertiiis absolvuntur , atque hoc  
pacto diminutio sine fine possit institui , per consequens  
aut statuendum infinita minuta tertia , aliaque hisce in infi-  
nitum minora paria esse infinitis seculis , id est exiguam  
particulam amplissimo toti æqualem existere , aut nume-  
rum infinitum ab aliis numeris infinitis posse superari non  
tantum semel , decies , centies , millies , sed & per quan-  
tamvis multiplicationem , non aliter ac quisunque alias  
finitus numerus , quod , si quæ , splendida contradictio.  
Nam infinitum in hoc infinitum est , quod pateat , quo us-  
que absolutè patere potest , atque adeò quo majus nec dari ,  
nec cogitari potest , quia tantum est , quantum esse potest.  
Neque excipere licet , nunquam disputandum de infinito :  
Nam sanè cum simus finiti , absurdum esse , nos aliquid de  
ipso determinare. Est enim Canon iste falsissimus , & ipsa  
Auctoris sui praxi refutatus plus millies , ut alias ex pro-  
fesso ostendimus , tamque perspicuum est menti , impossibi-  
le esse , ut numero infinito alii sine fine majores dari pos-  
sint , quam ut circulus dari possit quadratus , aut sexangu-  
laris , utrobique enim oppositum in apposito manifestissi-  
mè observatur. Cum igitur Mundus per secula infinita du-  
rassè non potuit , per finita duravit , proinde nec æternus est ,  
nec esse potest , aut potuit. Tertiò ipso meridiano Sole lu-  
cidius est , Mundi durationem quolibet præsente tempore  
finitam esse , ut dicere liceat , ad hoc usque momentum du-  
ravit Mundus , neque ultra , cum ergo durationis Mun-  
danæ

dant ipso facto detur finis, an hic esse potest sine actuali principio? an ultimum sine primo? aut an infinitum transiri potest? an potius id est finiti proprietas, uti revera est. Quin quero, an Mundi Duratio ante diem, mensem, annum, decem secula infinita fuerit, igitur hodierna Duratio, quæ procul dubio etiam infinita est, priorem vincet per diem, mensem, secula, atque à secuturâ duratione, si perget durare Mundus, in indefinitum vincetur. Imo quandoquidem singulæ mundi partes ab æterno sunt, harum omnium duratio si colligatur, quam hæc Mundi durationem in infinitum supergreditur. Quæ quam ideæ infiniti convenient, ex superioribus propalam est.

V. Cognoscimus præterea hunc Mundum, sive substantiæ corporeæ Universitatem omnino extensionis suæ limites habere, neque iis carere posse. Nam ejus infinitati omnes proprietates corporis reclamant, nec eam constituere possunt partes aut numero, aut magnitudine aut utroque modo infinitæ, aut partim finitæ, partim infinitæ, quemadmodum ex §. IV. non difficulter colligitur, & fusiùs ostendere, in ipsâ Disputationis ventilatione parati sumus, si cui solidam minùs videbitur hæc argumentatio. At Mondo essentiâ finito infinita duratio, sive æternitas competere nullo modo potest, non magis, quam enti infinito finita, nam attributum subjecti sui naturam semper sequitur, ipso aut reple, aut saltem in conceptu perpetuò posterius est naturâ, & similiter ab ipso dependens; quare subjecto nullâ parte esse potest nobilior, nedum illud in infinitum excedere. Porrò si Mundus essentiâ finitus est, & ex finitis partibus compositus, essentiam habet ab iis, tanquam prioribus naturâ dependentem; proinde nec ipse, nec ipsius principia sibi ex se & per se sufficere sic possunt ad existendum, ut præter se requirant nihil, adeoque omni ratione independentia esse nequeant, & infinitè perfecta, requirunt ergo aliud à se diversum, cui se debent, hoc est cau-

sam procreantem , cuius influxu primam adeptas sunt existentiam , ac cuius continuato influxu in existendo perseverant , quam diu perseverant . Nam duratio ipsorum , quia successiva est , mere contingens est , quæ enim nunc est , modò non erat , & modò non erit ; neque partes ipsius dependent à se invicem , ut nullo pacto necessum sit , ea nunc esse , quia ante fuerunt , aut futura esse , quia nunc sunt , possunt ergo fuisse , quamvis nunc non essent , & nunc esse , quamvis non essent in futurum . Quod itaque potius sint , quām non sint , potenti causæ conservantis influxui imputandum est , quæ simul atque hunc suspendit , cessabunt illa existere , & redibit in nihilum , quod fuit aternihil . At verò quod à non esse ad esse transiit , primum que accepit existentia momentum , quod non nisi precarior durat , singulis momentis desinere potest in existendo , id nec aeternum est , nec esse potest , quapropter nec Mundus , nec ejus principia . His adde , Aeternitatem meritissimo jure haberi Dei aatributum , & optimum Divinitatis characterem , quæ proinde propter absolutissimam Dei simplicitatem , non magis Creaturæ transcribi potest , quām perfectionum infinitas , necessitas existendi , independencia , ipsaque Divinitas . Excipiunt , qui tutantur possibillem Mundi aeternitatem , Aeternitatem , quæ in Deo est , prout in Deo est , communicari non posse Mundo , sed aliam , quæ alterius longè sit ordinis ; quemadmodum infinita Mundi extensio Dei infinitati non obest , sed majori laude vim Dei extollit , quæ in unoquoque imaginabili reapse exercitata percipitur . Confer Claub Physica Contracta § . 372 , 373 , 374 , 381 , 382 . Similiter Mundi aeternitas removet tantum omne initium , & cessationem in existendo , non partes , aut partium successionem . Verum admodum infirma est hæc exceptio ; nam quia aeternitas , qualis in Deo est , Mundo convenire nequit , ideo nulla ipsi potest convenire . Non enim alia Duratio sine principio esse potest ,

potest, nisi quæ est sine partibus & successione earum, ut evi-  
etum superiùs. Nec quicquam simile de infinitâ Mundi exten-  
sione illustrat, quæ tamen impossibilis est, quâ Mundi æter-  
nitas, & vim Dei non extollit, sed tollit & enervat maximè.

VI. Denique si ulla sit opinio, quæ facilem viam sternat  
ad introducendum Atheismum, hæc est, quæ Mundum  
æternum esse, aut, quod eodem redit, posse esse existimat.  
Si enim æternus sit, etiam magnitudine infinitus erit, quia  
infinitum attributum infinitum subjectum postulat, pro-  
inde omnem notionem cause procreantis longissimè à se  
removebit, quippe quæ rem extrinsecè possibilem, quæ  
tantum finita esse potest, facit existere; neque notionem  
solum cause procreantis, sed & conservantis: quod enim  
ad existendum sibi sufficit, sufficit quoque sibi ad conti-  
nuandam existentiam. Cui ergo bonæ rei Numen erit?  
Imo proclive erit, si non necessarium, ex hâc hypothesi co-  
gitare, unam tantum dari posse substantiam, quæ necessariò  
existat, infiniteque perfecta sit, nempe Mundum, qui cum  
Deus, si admittatur, coincidet. Et utinam multis hodie  
non staret hæc mentis sententia! Hâc imbuti fuere plurimi  
ex antiquis, qui Mundum, sive ipsius materiam, æternum  
esse voluerunt, non aliud agnoscentes Numen, hoc est  
nullum, convenienter quidem suo principio. Ex cæteris  
magnum illud Ingenium, quod si aliâs, hâc minimè sine  
mixturâ dementiaz est, Senecam audiamus, qui Natur.  
*Ques. lib. II. cap. XLV.* de Jove loquitur, custode, recto-  
re que universi, animo ac spiritu, mundani hujus operis  
domino, & artifice, cui, inquit, omne nomen convenit.  
*Vis illum fatum vocare? non errabis.* Hic est, ex quo suspen-  
sa sunt omnia, causa causarum. *Vis illum providentiam di-*  
*cere? recte dices.* Est enim, cuius consilio huic mundo provi-  
detur, ut inconcussus eat, & ætus suos explicet. *Vis illum*  
*naturam vocare? non peccabis.* Est enim, ex quo nata sunt  
omnia, cuius spiritu vivimus. *Vis illum vocare mundum?*

non falleris. Ipse enim est totum, quod vides, totus suis par-  
tibus indicatus, & se sustinens vi suā. Idem Etruscis quoque vi-  
sum est. Neque aliter Plinius ab initio libri II. Mundum,  
& hoc, quod nomine alio Calum appellare libuit, cuius circum-  
flexu reguntur cuncta, numen esse credi par est, aeternum,  
immensum, neque genitum, neque interitum unquam. Et  
paulo post: Sacer est, aeternus, immensus, totus in toto,  
imo vero ipse totum.

VII. Quin hæc opinio de Mundi aeternitate argumentata,  
quibus facile expugnari potest Atheismus, infringit plurimū,  
atque illud in primis, quod trito Canone nititur,  
*In causarum subordinatione non datur progressus in infinitum.*  
Quid enim repugnat, ut majores nostri sint à suis paren-  
tibus, hi iterum à suis, atque ita in infinitum ascenden-  
do, cum Mundi ordo, qui nunc viget, atque per secula  
viguit, æquè aeternus esse possit, quam ipse Mundus, at-  
tributum, quam subjectum. At hoc si possibile est, humili-  
sternitur omne argumenti robur, alias si Mundus esse cœpit,  
tam evidentis, & solidi, ut nulli demonstrationi Mathe-  
maticæ cedere necessum habeat, ceterorumque ferè argu-  
mentorum basis sit. Hoc quidem, fateor, inficiatur Carte-  
sius, qui & Canonem incertum autumat, & ineptam ar-  
gumentationem, quamvis in sacris non semel adhibitat,  
qua in eo extruitur; contrà omne ponit præsidium in Ideâ.  
Verum illud probare nequit, huic frustra fudit. Quid enim,  
si neget Atheus, nos habere ideam Dei ingenitam, claram &  
distinctam, ipsa proderit? Hoc verò ex suâ hypothesi negare  
debet; nam si Deus concipi possit, esse potest, at si esse po-  
test, est, cum, si non sit, nunquam esse possit ens necessa-  
rium, & independens, sive Deus. Neque à rerum Fini-  
bus, qui in Terrâ sunt obvii, Deum esse Atheis, ut nulla-  
pateat evasionis aut cavillationis rimula, demonstrabis, quod  
doctissimi Parkeri institutum est, si Canon superior infrin-  
mus sit. Itaque cum sententia de Mundi seu reali, seu  
possibili.

possibili aeternitate Athesis impensè saveat , oppositaque ipsos debellet , quām quod maximè , liquet non imperitè cum iis disputari , an Mundus sempiternus esse potuerit , præfertim cum negativam solidissimè superiùs nos evicisse arbitremar . Sed clariùs hoc apparebit , quando affirmatum argumenta momento suo ponderaverimus , quod proxima fiet occasione .

---

## Annexa Defendantis.

- I. Legitimè Philosophaturum ad principia per se nota (quorum omnium primum agnosco , impossibile est idem simul esse & non esse) ut totius Philosophiæ basis , attendere oportet .
- II. Illicita igitur & impia est universalis Cartesii dubitatio ; dum se ad ipsum rationis lumen , Deum Ter Opt. Max. extendar .
- III. Quā se nullus naturaliter , ideoque nec per decantatum , Cogito , ergo sum , liberare potest , quod cum destitutum sit requisitus conditionibus , nomen principii , multò minus primi nequaquam meretur .
- IV. Ex quo sine fundamento distinctio mentis humana à corpore inferitur , & false sequuntur theses , mentis essentiam solum cogitatione absolvi , mentem nullibi existere , & illam corpore notiorem esse .
- V. Multò minus igitur idea , quam deo habemus , omnium clarissima & distinctissima est , cum infinita ejus perfectiones captum nostrum tam arctum & finitum infinitis modis excedant .
- VI. Agnosco tamen innatam & acquisitam Theologiam Naturalem inter se verè distinctam ; quare dari non posse atheos speculatorios affirmo .
- VII. Practicos vero dari experientia prob dolor ! abundè docet , contra quos invictè & modo in sacris comprobato à causis subordinatis summi Numinis existentia adstruitur .

VIII. Me-

VIII. Merito Cartesius mundum suum vorticisum figuratum  
& fabulam appellavit, cum creationis Historie palam ad-  
versetur, & per motus mechanicos stare non possit.

IX. Quoniam mundus nec est, nec esse potest infinitus; naturae  
corporis enim repugnat, & infinitas solius Dei attributum est.

X. Quapropter spatia imaginaria, sive non extensa extra hunc  
mundum, in quibus Deus omnipotentiā sua alios mundos  
producere potest, dari statuimus.

F I N I S.

---

*Ad praestantissimum*  
VIRUM-JUVENEM  
NICOLAUM SNOUKIUM,  
*publice defendantem.*

**B**elliger ut miles cinctus fulgentibus armis  
Nulla pericla timet: verum de pectore mit-  
tit  
Attonitas curas: omni formidine servat  
Pectus jam vacuum: rabidum supercasse inimicum  
Hoc satis est ipsi: sicut quoque praelia nulla,  
Docte, times, SNOUKI: sed semper ad arma paratus  
Adversos hostes vincis, qui dogmata falsa  
Ponunt. Ast aliter visum tibi vera probare.  
Nam mundum statuis, defendis non potuisse  
Æternum, frangis sic tritum dogma SPINOSÆ  
Felix ò nimium felix: cui flammœus ardor  
Incubuit dicto penetrare dolosa stropharum.  
Hinc tibi summus honos, ingens tibi gloria surgit  
Inter honoratos, nullum peritura per ævum.

*Raptim apposuit ex amicitia hac*  
I. T.